Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 29. Januarii.

M. CLAUDIO BURLET, Doctore Medico, Præſide.

An interioris corporis humani infida cognitio ex Anatome?

UT inſciis parentibus, nec quidquam tale cogitantibus, quin & nolente interdùm matre homo generatur, ſic vivit prope neſcius quâ contineatur effectione vita. Ex uteri clauſtris foras erumpit parvulus ac debilis, majorem poſthac ſenſim acquirit creſcendo molem vigoremque. Spiritum ut ſemel admiſit, eo carere nequit, niſi vitæ diſpendio, nec quotidianus famis ſitiſque ſenſus minorem ipſi facit ad vitam cibi potioniſque neceſſitatem. Aër, alimenta aſſumpta quò abeunt? Unde pars hæc quaſi melioris ſortis in interiora corporis admittitur; illa infelicior excluditur? quid hæc excretorum ab aſſumptis varietas? unde hæc pulſus ſapientia? quæ ratio ſomni eſt, quæ vigiliæ? Nec minùs mirum quod adverſam valetudinem facit, quàm quod ſecundam: idem homo frigore torpens, mox diffuſo per artus calore torretur: contenta in imo ventre morbi materia mox fertur ad caput, mox è capite provolvitur ad imum ventrem: tentantur pedes frigore, illico dolet alvus & plus ſolito fertur: concuſſo ictoque validiùs cerebro, ventriculus convellitur, & viciſſim dolores ventriculi ad cerebrum pertinent: inſultus Epileptici, unde tanta toti homini perturbatio, ſæpius ab extremis corporis oriuntur; quantus ſit uteri cum muliere omni conſenſus hyſtericæ affectiones quotidie declarant. Hæc & ſimilia quâ organorum molitione gerantur nemo noſſe ſe profiteatur, niſi eidem intima & exquiſitior corporis fabrica patuerit. An datum hoc humanæ induſtriæ, meritò dubites, nedum nobis tam contigerit eſſe beatis. Ne quis hâc in re nimiùm ſibi blandiatur, iis quæ & notiora ars exhibet cavebit confidere, & quâ ex parte ſua in ſcrutando corpore aut deficere aut falli poſſit obſervatio, cautè explorabit.

QUISQUIS latentis naturæ cognitionem ſectatur, is diligenter circumſpiciat quam inſiſtat viam, quis ſit explorandi modus tutior, quæ inſtrumenta quibus genuinæ rerum facies ſe prodant, quid arti negatum ſit, quid tribuendum; decipitur Phyſicus dùm omni artis adhibito conamine, omnia, quæ cernit effecta, ſoli naturæ refert accepta, nihil arti affingit: hæc ſæpiùs addit, aut detrahit ex rebus ipſis, aut alio quovis immutat modo ſic, ut quæ diu quæſita eruimus, jam non naturæ, ſed artis aut utriuſque ſaltem partus exeant. Sic chymia per varios explorandi modos mixtorum principia conquirit: fruſtra. Non genuina illa & qualia inſunt mixtis, ſed ignis adulteratione prorsùs alia exhibet. Quin & recentiorum Phyſicorum experimenta, inſtrumenta & ſuperſtructæ hypotheſes non tam naturæ cognitionem promovêrunt, quàm humani ingenii in fingendo ſubtilitatem declarârunt. At quô nobis vera corporis humani ſcrutatio contingeret, admirabilis hæc continuatio partium, quibus id conſtat, eâ arte diſſolvenda eſſet, ut minutiſſima in eo perſpici poſſet circumſcripta cujuſlibet organi figura, Dædalea vaſorum diſtributio, perlabentium humorum indoles & ſcaturigo foret cognoſcenda: nihil denique ignorandum eorum quæ natura clauſit, puta ſingulorum poſitura, color, figura, magnitudo, ordo, durities, mollities, lævor, contractus, proceſſus ſingulorum & receſſus, milleque alia ejuſmodi, quæ vereor ne diù intrà artis anatomicæ vota ſint. Hæc quantùmvis variis inſtrumentis adjuta, experimentis aucta & artificum innumerorum induſtriâ locupletata ſit, nuſquam aperiet detegetque arcanum illud quo ſtruitur homo artificium.

ANATOME ars ſecandi corpora prioribus Philoſophis ac Medicis non ignota. Abderitam Democritum diverſa ſecantem animalia vidiſſe ſe prodidit Hippocrates rei Anatomicæ nec ipſe rudis. Herophilus, Eraſiſtratus vivos homines à Regibus è carcere acceptos inciderunt, crudele. At hominum nocentium ſuppliciis, remedia populis innocentibus ſeculorum omnium quæri poſſe exiſtimabant. Pluſquam ſexcentas vivorum animalium ſectiones adminiſtraſſe ſe profitetur Galenus. Verùm quæ vix vagiebat vetuſtis hiſce temporibus, longoque ſeculorum tractu jacuerat ars debilis, tum robuſtis præſertim adolevit viribus hâc ætate noſtrâ: ſcilicet recentioribus Geometriæ, Phyſices, Artium Mechanicarum adjumentis, novâque inſtrumentorum acceſſione plura viderunt in corporibus quæ priùs abdita latebant: Ejuſmodi ſunt orbicularis ſanguinis per univerſum corpus itus & reditus perennis, ſplendidi lymphæ canales, lacteſcentes chyli ad cordis oſtia commeatus, Glandularum ac tubulorum in viſceribus contorti glomeres. Hæc aliaque ſua recens ætas numerat inventa: Nec mirum quibus præſto ſint veteribus Anatomicis partim ignota aut non uſurpata inſtrumenta Syphones, Folliculi, Ligaturæ Microſcopia &c. quorum ope exiliora perſequi vaſa & in tenuiſſimos uſque penetrare viſcerum receſſus putant Neoterici. His profecto magnam in ſecando dexteritatem, at ſtatim non omnia tribuas. Eſto ſanè multa protulerit nova recentior Anatome, at quantò plura relinquit intacta, imo quam multa corrumpit? Si dubitas, inſtrumentorum corpuſque ſecandi conditionem intuere, & fateberis multam ubique infidæ & minùs accuratæ demonſtrationis ſuſpicionem adeſſe.

NULLUM eſt inſtrumentum Anatomicum quod omni ex parte reprehenſione careat. Cultros & ſcalpella, ſectioni maximè dicata inſtrumenta, ſolidiores partes non admittunt, alias verò ſi velis attingere molliores; cujus generis ſunt cerebrum, cor, pulmo, lien, hepar aliaque viſcera quæ, uniformis texturæ viſa, intus tamen compoſitiſſima ſunt & ex innumeris organis conflata (quod maximum naturæ artificium in exiguo plura claudere) mirum ſi in hæcce viſcerum tenuiſſima ſtamina vel acutioris ſcalpelli penetret acies: craſſum quippe & rude inſtrumentum, ſcindit & amputat quæ integra ſervari debent, quæ ſeparanda vix attingit, quod tranſverſum rectum, quod angulatum obtuſum truncando efficit ſicque genuinos in partibus caracteres delet, novos exprimit. Syphonum ope, vaſorum ductus, valvulæ ipſis appoſitæ, liquorum in partes effluxus explorantur; ab his tamen diſrumpi potiùs, quam aperiri debilis reſiſtentiæ vaſa tenuiora vero ſimile eſt, poſitaſque, ſi quæ ſint, in ipſorum cavitatibus valvulas obteri, & ſæpiùs quantùmvis liquor validè trudatur, is hæreat ad vaſa carnium mole oppreſſa neceſſe eſt. Folliculorum penè par ratio, namque & fibrillæ viſcerum tenuiores aërem validiùs impulſum non ſuſtinent, ipſumque reſpuunt partes aut caloris abſentiâ collapſæ aut ſuccis concretis occluſæ. Non ſatis laudandus in inveſtigando liquorum tramite ligandorum vaſorum uſus, idem tamen in nervis fallax & infidus. Hi conſtricti nullum tumorem præ ſe ferunt, quem tamen ſuccus nerveus, cujus exiſtentia vel ſui ipſius circuitu aſtruitur, præbere debuerat. Jam verò Miſcroſcopia ipſa tibi ſuſpecta erunt, ſi attenderis minutiſſimo viſionis centro, colores ita à rebus explorandis affundi, ut quis verus earum ſit nativuſque color dijudicari nequeat, ac ea quæ ſic interpolatis viſionibus percipiuntur, fieri poſſe, ut diſcreta appareant, quæ verè unita & continua ſunt. Demum circa res eminùs poſitas fallimur radiis ad retinam uſque non pertingentibus, quidni circa res microſcopii ope viciniores radiis ultrà retinam coëuntibus? cautè igitur tot quæ microſcopiorum acies reſeravit, fidem habeas. Tecumque ſic ſtatuas à curioſis iſtis corporis indagatoribus pleraque ſuppoſita magis, quàm demonſtrata.

HÆC ſunt præcipuorum inſtrumentorum vitia; ex ipsâ verò corporis ſecandi parte non minora occurrunt incommoda. Corpus humanum non ſecatur jam niſi mortuum, eoque nomine infida ſemper futura eſt humani corporis cognitio: quoquo modo mors obtigerit, varias ſubeunt mutationes viſcera, quibus nativa eorum facies alteretur: dùm homo lucis uſurâ fruitur, viſcera ubique vaporibus invicem emiſſis, calore ſpirituque perfuſa quandam habent mollitiem, lævoremque, qui mortuo ſtatim deperit. Quam mille exiguiora vaſa ſpiritibus liquoribuſque pervia in viventibus, obliterantur in mortuis. Venæ chylum deferentes, ductus thoracicus, lymphatica vaſa uſûs tam conſpicui vix ab aliquot annis ſeſe prodiderunt, imò & vix reperiuntur; quid cenſeas de tot aliis minoris molis partibus, quas reverâ exiſtere probabile eſt, tametſi induſtriam artificum fugiunt. Fortè quis ex vivorum animalium ſectione compenſate crediderit ſiquid noſtri corporis cognitioni deficit; nihilô tamen plùs certitudinis meo quidem judicio expectet ex his quæ tantâ violentiâ quæruntur. Ex dolore omnis perturbatur œconomia naturalis, irrequieti quoquoverſum ſine ordine, ſine lege feruntur ſpiritus, ſuos quandoque rumpunt cancellos, inflant partes quæ ſubſident, aliarum tenuem delent texturam ſic, ut color, lævor, mollities, duriries ſimiliaque omnia talia inciſo eſſe nequeant, qualia integro fuerunt. Si enim metu, dolore, cruditate, inediâ, laſſitudine, aliiſque mediocribus affectionibus inviolata corpora mutantur, quantô magis interiora corporis quibus major mollities & lux ipſa nova eſt, ſub graviſſimis vulneribus, & ipsâ trucidatione mutabuntur: ut ut tamen nullis hæc brutorum ſectio occurreret reprehenſionibus, homo belluis multum intereſt.

Ergo interioris corporis humani infida cognitio ex Anatome.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus le Rat.
M. Ludovicus Labbé.
M. Andreas Enguehard, Profeſſor Regius.
M. Joſephus Thomaſſeau.
M. Ludovicus Poirier.
M. Petrus Bonnet-Bourdelot.
M. Germanus Preaux, Profeſſor Regius.
M. Rolandus Merlet.
M. Franciſcus Pajot, Antiquior Scholæ Magiſter.

Proponebat Lutetiæ JOANNES GELLY, à ſancto Paulo de Fœnoüilledes Electenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1693.

